

47

DEO DUCE!
SPECIMEN ACADEMICUM
De
USU RATIONIS
IN
THEOLOGIA,

Qvod,
Suffragante Amplissima Facultate Philos. in Regia
Academia Aboënsi,

PRÆSIDE
HENRICO HASSEL,

Eloquent. Profess. Reg. & Ordin.

PRO GRADU,

Publico examini modeste subjicit

SAMUEL ER. HUSS

JEMTIUS.

In auditorio majori d. XXIII. Maji A. MDCCXLVII.

Horis ante meridiem convetis

ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typog.

I. N. f.
§. I.

Veritates in mundo dari, & eas inter
mutuas relationes, rationis objectivæ
nomine venientes, nobisque easdem
cognoscendi facultatem inesse, quam rationem
subjectivam appellamus, nemo nisi scepticus sat
crassus negare audet. (a) Utriusque nimirum
& objectivæ & subjectivæ consideratio locum
heic obtinet, ubi rationis in Theologia usum
ostendere constituimus. (b)

(a) Hinc colligere primum est rationis, quam nos
hic supponimus, haudquaque esse fœtus præ-
judicia aut errores.

In sequentibus, B. c. D. ita versabimur, ut omni-
um primo, de ratione subjectiva & quidem §. II.
& postmodum §. III. de objectiva dicamus. Haec
veritates in necessarias & contingentes divisiæ,
cum etiam in alias quæ divertarum disciplina-
rum objecta constituant, distribuantur classes,
ordine

ordine earundem naturæ convenienti in sequentiibus ita progrediemur, ut quid utilitatis unaq;æque disciplina in Theologiam afferat, seorsim ostendamus, media, qvibus ratio ad adcuratorem cognitionē assequendam utitur, latiori qvoq; Philosophiæ ambitu comprehensa, præmissuri.

(b) Theologia nobis est cognitio veritatum a Deo revelatarum; hæc vero cum acroamatica sit, & catechetica, planum est nos indigitare solidiorem illam in omni latitudine sua, ejus nucleus continet ipsa fidei analogia.

§. II.

Theologiæ viatorum unicum principium cognoscendi esse divinam revelationem, Sacra scriptura canonica comprehensam, constans est & esse debet veræ Ecclesiæ assertio. Has autem veritates viam salutis manifestantes, qvemadmodum ratio sibi relicta, nec novit, nec investigare potest; ita revelatio, rationis vim non tollit; (a) sed eandem prælupponit, utpote necessariam ad veritates suas eruendas, explicandas (b) connectendas, (c) & ad eas qvoslibet applicandas & defendendas.

(a) Gratia divina per revelationem efficax, per spicaciam, qvæ ad naturales tantummodo veritates, nec ultra se antea extenderat, elevat ad cognoscendum sublimius objectum, & hoc quidem pedetentim, & per certos gradus, haud fecus

seus ac lux naturalis successive oritur. Accedit experientia spiritualis, qvæ, quantum momenti trahat in Divinis veritatibus explicandis, qui exercitatos habent sensus Theologi optime norunt. Conf. Reusl. in Dissert. de usu experientiæ spiritualis in sacra interpretatione, Hafn. 1732. in 4:to, recut. Francofurt. & Lipl. 1735. Hæc adjunximus, ne qui subliuis mox commendandis, satis instruēti sibi videntur, ideo omnia in scriptura pervia esse putent. Schola enim hæc Divina multa omnino habet, qvæ eidem propria sunt, & qvorum consideratio alterius est fori.

(b) Non hoc ita accipiendum est, ac si nos statueremus, omnibus veritatibus revelatis Philosophica ^{αὐτοῖς} explicandis, parem esse rationem vel optime collustratam. Etenim sunt veritates revelatæ, sive mysteria, qvorum non nisi confusas, acquirere possumus ideas. Exemplum heic esto Trinitas Personarum, Generatio Filii Dei æterna, processio Spiritus Sancti a Patre & Filio, unio Dei & hominis in Christo ^{θεοῦ Σπ̄υτικῶν} &c. Hæc explicare velle frustraneum foret. Neqve enim modum ostendere licet, vel quo hæc fiant vel facta sint.

(c) Qvæ in Scriptura Sacra, pro scopo unius cuiusque Scribentis veritates sparsim traduntur hæ optime contentiunt. Qvin etiam talis inter illas datur nexus, ut a se invicem pendeant, & una ex altera demonstretur. Sic Divinitatem Christi præsupponit latistica Ejus expiatoria.

Ex hac Justitia Dei & bonitas elucescit. Posita reconciliatione per Christum sufficientissima, & Justificatione gratuita, omnia operum merita evanescunt. Et sic porro. Ut paucis dicam, tota œconomia salutis est catena, cujus singulæ partes cohærent.

§. III.

VEritates rationis cum revelatis, adeo non pugnant, ut inter utrasque jucundissima sit harmonia (a) Afferimus etiam illas ad veritatis, e Scriptura Sacra hauriæ, defensio nem, & propugnationem aliquando, (b) Iæ pius vero ad rectam ipsius scripturæ interpretationem, haud parum facere, ut ex sequentibus haud obscure patebit, vid. Jtagog. Budd, pag.

234.

(a) Ad hoc confirmandum non opus est multo argumentorum apparatu. Sufficit unicum illud, quod & ratio & revelatio Deum agnoscat Autorem, Qui sibi met ipsi contradictorius esse negavit. Et quomodo veritas veritati adversaretur? Proinde firmiter tenemus, quod si quid pro revelato vendicetur principiis rationis repugnans, id admittendum non sit; quocirca non male faciunt, qui criterium revelationis veræ statuant, quod nihil contineat rationi adversum.

(b) Hic autem contra id, quod sub initium §. II. diximus, aliquid statui nemo putabit; non enim ita

ita hoc intelligendum est, ac si nos revocaremus fundamenta fidei ad principia rationis. Absit a nobis hoc, non minus quam alterum extreum, rationem ad veritatem revelationis explorandam nihil facere; quorum prius rationalismo, posterius fanaticismo viam panderet. Ratio plurimum confert ad discernendam revelationem veram a falsa, ast certitudo revelationis verae ab argumentis philosophicis in totam suspendenda non est. Habet namque revelatione ipsa in se vim Divinam ad convincendos animos maxime efficacem.

§. IV.

QUANDO jam aliquid revelati cognoscimus, fit id ope characterum seu terminorum. Immediatas revelationes, post ob-signationem canonis expectare non licet. Nobis vero traditæ sunt veritates revelatæ Hebræa præsertim, & Græca lingua; earundem ergo in Theologia usus manifestus est; (a) unde etiam, quid de Grammatica & Rhetorica sit judicandum, facile constat. (b)

(a) Heic dicat quis nunc temporis sufficere posse S. codicis versiones. Sed unde constabit de certitudine versionum? Nulla earum tam exacta est, vel esse potest ob varios lingvarum idiotismos, ut per omnia fontibus æqviparandas sint, h. e. (liceat nobis loqui cum Erasmo)

7

ut eandem lucem, ut nativam gratiam, ut parem obtineant emplasim. Ex fontibus purior, quam rivulis hauritur aqua. Nec mirum, ubi ad disputandum ventum fuerit, si ut errori obnoxiae, rejiciantur versiones. Experientia doctus hoc novit Lutherus, qui sic scribit: *Hebraea lingua si aliqui futuri sint Theologi, oportet, eos esse munitor, contra Papam & aliud odiosum hominum vulgus; qui cum unam Hebraeam vocem sonare didicerunt, statim putant se magistros hujus Sanctae Linguae. Ibi nisi eam nos tenuerimus, tanquam asinis illudent & insultabunt.* vid. coment. in Ps. 45. Tom. III. Lat. Jen. fol. 463. Præterea, quid magis jucundum esse potest, quam Deum ipsum loquentem sine interprete intelligere? Digna sunt quæ heic legantur verba Cl. Schudtii in trifol. Hebr. præf. Optandum fuit, inquit, ut omnes Christiani Hebraeam & Graecam lingvam, in Dei honorem & animae ipsorum salutem addiscerent. His enim in Veteri & Novo Testamento, oracula Dei de aeterna hominum salute consignata sunt, haec sunt fasciae, quibus Christus involutus, has callenti & legenti, tot se offerunt jucunda, utilia, necessaria, quæ barum ignarus nec videt nec sapit.

(b) Qvis enim non videt nostra ætate ex solo usu Lingvas Sacras addisci non posse, sed studium Grammatices in subsidium vocari debere, ut firmis gressibus incedatur. Hisque jungenda sunt præcepta Rhethorica, ut ab aliis dignoscantur vel translatæ vel figuratæ dictiones.

§. V.

Historia, quo nomine nobis aptæ fideqve dignæ factorum, vel rerum memorabilium narrationes veniunt, inter propædeumata Theologica, & ad usum rationis qvum sit referenda, illa quoqve heic considerationem nostram subit. Hæc ipsa, nomen si modo tueatur, qvum ad utilitatem generis humani & gloriam Dei, cuius providentiæ speculum haud in epte nominatur, sit comparata, omnibus hominibus qvin prospicit, & conseqventer Theologo inserviat, nullum est dubium. Heic tamen præcipue Litteraria (*a*) Ecclesiastica (*b*) in censum veniant, atqve Civilis, (*c*) Historiæ adminicula sunt Geographia, Chronologia, Genealogia, antiquitatibus non exclusis.

(*a*) Historia Litteraria, qvæ unius generis non est, conf. Budd. Ilagog. p. 199, si non alio, qvam notitia bonorum librorum, qvam suppeditat, sese commendaret usu, vel ex hoc capite in studio Theologico magni facienda eslet. Sed non hic est unicus. Inspice vitam, moresqve eruditorum, ibi ad imitationem propositos, Scientiarum, Sectarum, atqve dogmatum origines & progressus, qvos pandit; & insignem fatebris exinde ad solidam eruditionem aspirantibus redundare usum, maxime si pragmatice tractetur.

tur. Taceo parallelismum ad quem in controversiis; haud raro cum fructu attenditur, & interdum necessario attendendum; taceo controversias, ex Historia unice decidendas.

(b) Sine Historia Ecclesiastica, in numerum Theologorum nemo referri meretur. Hæc enim sit statum Ecclesiæ ab initio ad præsens usque tempus, sive in persecutione & motu, sive pace & tranquillitate. Hæc ceremonias, seu totius cultus externi rationem, Doctorum fata aliaque memorabilia exponit; unde Theologus pietate, provida scilicet Numinis cura intellecta, prudenter, & dexteritate in partibus munericis administrandis, proficere potest ac debet.

(c) Inter Historiam Civilem atque Ecclesiasticam nexus intercedere, cuique haud obscurum esse existimamus. Historiam inquit Cel. Budd. Ecclesiasticam sine Civili commode tractari non posse vel inde liquet, quod plerumque res Ecclesiae & Reipublicae aeterno vinculo inter se sint conjunctæ, plurimaeque & subinde gravissimæ rerum conversiones & mutationes in imperiis contingent, quibus religio aut occasionem, aut πόφασιν praebet. Loc. cit. p. 175. Quantum denique Historia profana ad historicam Sacræ Scripturæ narrationem intelligendam & corroborandam faciat, ut alios prætereamus, ostendit luculentissime Humfredus Priedeaux in opere inscripto: *Vetus & novum testamentum, in Historia Judæorum & vicinarum gentium connexum a declinatione regni Israëlis & Judæ, usque ad tempora Christi.*

§. VI.

Veræ Logicæ studium accuratius, Theologo
B pro-

prodest certissimum est. In iis quippe quæ §. III. diximus (*a*), aliisque (*b*) rite versari posse Theologum, cum fastidioso Logices contemptu qui dicunt, nam illis occinatur decentatum illud: Ars non habet osorem nisi ignorantem.

(*a*) Qui capita Logices vel tantillum degustarit, qui morborum & infirmitatum mentis, vel haud ignarus omnino fuerit, hunc, quin habeamus consentientem, dubium est nullum; qui enim solam Logicam naturalem sufficere existimaverit, se confusione saepissime obnoxium fore deprehendet. Ut quis notiones claras, distinctas, & completas formare, propositiones certas condere, ex genuinis principiis per legitimam consequentiam conclusiones deducere, & veritates inventas rite ordinare valeat, utique Logicae artificialis indiget subsidio. Si in hisce sit exercitatus non difficile ipsi erit, ideas Sacrae Scripturæ discernere, loca quæ sibi invicem adversari videntur, conciliare, rerum cohærentiam scrutari, ortisque ex vocum & phrasium ambiguitate, ac propositionum indele obicitatibus medelam afferre. conf. Budd. de Idon. Interpret. S. S. §. XX. In disputationibus denique statum controversiæ recte formabit Teologus, argumenta adversariorum perspicue explicabit, & dextre refutabit, quod regulis Logices ignoratis, impossibile foret. Et quis ignorat Hermeneuticam Logicam, omni, adeoque Sacrae exegi quoque generalia substernere præcepta? Logices ergo usus hoc in negotio ad oculum patet.

(b) Accidit nonnunquam ut cum Scepticis agendum sit, qvo vero modo contra eos satis valide probabitur, veritatem non minus notionalem qvā realem dari, criteriis veritatis, qvæ genuina docet Logica, ignoratis? Ridiculum est, eos qvi usum rationis in Theologia negant, ad sententiam suam confirmandam multo argumentorum apparatus & Logicæ artificialis adminiculo uti. dic qvod destruere videntur adstruunt, & magno contentu magnas agunt nugas.

§. VII.

Methaphysica adeo necessaria est Theologo, ut muneri suo sine hac satisfacere nequeat. Quotquot Methaphysicæ constituuntur partes, Ontologia (a), Cosmologia (b), Psychologia (c), & Theologia Naturalis (d), heic in censum veniunt.

(a) Qvo jure factum sit non dixero, hoc certe constat, multos terminos Ontologicos a Theologis dudum esse adoptatos; qvamobrem Systemata Theologica, qvalia jam exstant, studii Ontologici expers intelligere potest nemo. Quid' qvod non desint, qvi principiis Ontologicis abutuntur, ad incrustandos errores. Sic impium illud Systema Spinozianum qva maximam partem superstructum est falsæ & absurdæ definitioni substantiæ. Ut itaque errores isti solide refutentur, ipsa principiorum falsitas detegenda est; qvod ab alio præstari non poterit, qvam qvi in scientia Ontologica probe fuerit versatus.

- (b) Ex contingentia mundi, in Cosmologia demonstrata, sine ambagibus in Theologia Naturae concluditur, ad existentiam entis Necessarii a mundo diversi. Qvod argumentum quanti sit contra Atheos ponderis, ii optime perspiciunt, qui norunt hoc esse illorum πρῶτον Φεύδος qvod mundus sit a semetipso sive necessarius.
- (c) Hæc de anima, ejusque operationibus Scientia, in Theologia, magnum habet usum; atque eo acrius vindicanda est, qvo pluribus præjudiciis & graviori corruptelæ deprehenditur exposta. Qui animam ex tenui materia mechanice modificata constare dicunt, omnesque ejus appetitiones & aversiones esse necessarias, nonne ipsa fundamenta doctrinæ moralis ac Theologicæ evertere conantur? immaterialitatem vero animæ, ejusque libertatem, non rectius contra materialistas & fatalistas quoscunqve vindicaveris, quam si solida Psychologica cognitione fueris instructus.
- (d) Theologiam Naturalem revelatæ apprime inservire, nemo ignorat. Nam I. qui revelationem non admittunt, argumentis ex ratione depromtis, de existentia, perfectionibus & operibus Divinis sunt convincendi, qvod probe observavit Paulus in gravissima illa oratione Areopagitica Act. 17. Nam contra id furfuris homines argumentis ordiri ex revelatione petitis frivolum torret & ineptum. II. ope Theologiæ Naturalis detegi & refelli poterunt opiniones erroneæ & fanaticæ in Theologiam intrusæ. Id namque extra controversiam positum esse oportet, si quid aduersa fronte pugnet cum Theologia Naturali,

sive dogmata concernat sive cultum, hoc revelatione Divina comprehensum non esse. Sic multos papisticos errores, sic varia fanaticorum figura facile animadvertere licebit. III. Theologia Naturalis rite exulta ostendit, quousque ratio sibi relictā in cognitione Dei rerumque Divinarum progredi valeat; Unde apparet, quodnam sit discriben inter lumen naturale & revelatum, inter naturam & gratiam. IV. Comparatio Theologiae Naturalis cum revelata, amicum utriusque consensum aperit, & hujus praे illa excellentiam docet.

§. VIII

Physicam, dum accuratius scrutatur naturam magnalium (Rom. I, 20.) Dei, Atheismo & superstitioni debellandis plurimum conferre quin statuamus, nullum est dubium. Quin & ad Eliorem in Philosophia Morali progressum, & Sacram Scripturam variis in locis recte interpretandam defendendamque conduit (a). Nec de Mathesi aliud judicabit, qui, praeter nexus hanc inter & Physicam, Mathematica varia in Sacra Scriptura occurrentia, & controversias nonullas, quæ non nisi ex Mathesi accurate decidi possunt, animo lustraverit (b).

(a) I. Theologia Naturalis, cujus necessitatem in proxime antecedentibus ostendimus, contemplationi naturæ innititur, quod antiquissimis etiam notum fuit, conf. varia hanc in rem testimonia col-

- collecta a Daniele Clerc in Historia Medicinæ,
 Ex quo vero nostra ætate magis excoli cœpta est
 Physica experimentalis, quid eius adminiculo vi-
 ri docti & cordati in Theologia Naturali præsti-
 terint, satis constat. Plures inter nominasse lu-
 fecerit Derhamum in Astro- & Physico-Theolo-
 gia, ut & Bernhardum Nieuventyt, in der erkänt-
 nis der weisheit / macht und gütē des Götlichen
 wesenſ/ aus dem rechten gebrauch der betrachtungē
 aller dinge dieser welt. Et maximi momenti eit
 obſervatio Nieuventyti, qva monet Spinozæ alio-
 rumque impia dogmata, inde potissimum prove-
 nisse, qvod neglecta consideratione rerum natu-
 ralium, ſpeculationibus abstractis nimis indulle-
 rint. Res eft in plano. Ipla revelatio ad contem-
 plandum opera Divina, in regno naturæ nos re-
 mittit. vid. Psalm 19: 2. Job. 38. Epift. ad Ro-
 man. I. 20. &c.
- II. De rebus physicis agitur, variis in Scripturæ locis
 qvæ ut intelligantur, in ſubſidium vocanda eft ſci-
 entia naturalis, Qvin etiam ſæpius occurruunt ſimi-
 litudines a rebus naturalibus deſumtæ, qvarū vim
 & emphasin explicat & illustrat peritia naturæ.
- III. Nonnulli abutuntur Scientia Naturali ad varia
 Scripturæ loca infestandum, qvibus ex veriori
 Physica obturandum eft os.
- IV. Ad diſcernenda vera miracula a falso hæc ſcien-
 tia magni eft uſus.
- V. Anthropognosia Moralis de qva mox dicen-
 dum, à physiologia haud parum mutuatur
 adjumenti. Reſte Buddeus: *Licet omnibus,*
inqvit, concessum fit animatum per singulæ Physicae
partes

partes circumferre; adcuriori tamen doctrinae de homine cognitione nemo carere poterit. Haec enim per Moralem quoque Philosophiam ipsamque Theologiam ac Jurisprudentiam latissime se diffundit etc. vid. Isagog. p. 273.

(v) I. Posito, quod Physica sit utilis Theologo, idem patet de Mathesi. Illa enim, quia magnam sui partem, hujus indiget subsidio.

II. Obveniunt etiam res Mathematicae in S. codice, quorum intelligentia adcurior ex quantitatibus doctrina pendet.

III. Nec desunt, qui artis Mathematicis, sed male applicatis ipsam veritatem Divinam adoriri audeant, de quibus Sturmius in Dissertatione inaug. de utilitate Mathes. Quia a fortis, inquit, ac in sophismatum suorum subsidium adductis Mathematicis, errores suos, & mendacia, & blasphemias munire conati sunt, confutatorem, nisi Mathematicos cognitione satis instructus in arenam descendat, nullum reformat.

§. IX.

PHilosophiam Moralem indispensabilis fere in Theologia esse usus vel exinde, si aliæ deficerent rationes, probari potest, quod sine eadem gratiæ & naturæ operationes, quod inter palmaria Theologiae Moralis est, recte dignosci nequeant (a). Notiones quas insuper demonstratas sifit, virtutum & vitiorum, aliorumque terminorum, e. g. Legis, obligationis, officii, conscientie, ignorantie, erroris, imperii, Majestatis, imputationis &c. alioqui evolutu difficiles, in negotio exegesis Sacrae (b) & Polemices, nec non Theologiae morali magno adminiculo esse, nemo cruditorum ignorat.

[a]

(a) Magni est momenti res, in praxi pietatis propria; ne decipiatur, & ad idem studium in aliis dignoscendum, discrimen hocce sibi habere perspectum. Longum foret heic idem deducere. Facile perspicit, quantum ad id contribuat Philosophia Moralis, qui intelligit Moralitatem actionum ac differentiam, ex causis impellentibus & finalibus esse petendam. Philosophia vero moralis docet, qui motus, appetitus, & fines in homine sint naturales, & quomodo natura possit esse simia gratiae.

(b) Quæ Celeb. Budd. scribit in diss. lœp. cit. §. XXVI. locum hic quoque inveniunt. *Hic*, in interpretatione scilicet Sacrae Scripturæ, proximum inquit, Theologiae, locum sibi vindicare velle videtur Philosophia Moralis, quæ de virtutum virtorumque diversis generibus eos se concepius interpreti suspeditaturam spendet, qui Scriptis litteris rectius intelligendis egregiam facem praeferre queant. Enim vero si in Janam inciderit morum disciplinam, quæ hominis naturam & propensiones varias ex diverso temperamento ortas indigare, postremo quæ ignorata plurimis naturæ gratiaeque confinia recte determinare doceat: fateor te non parum in negotio Hermenevticas adjutum iri. Hisce enim praesidiis instructus, felicius dijudicabis eorum hominum, quorum Scriptura meminit, actiones, inque conjectandis latentibus eorum affectibus eris sagacior.

Haec fuere pauca, quæ in praesentem rem dicere & censuræ Tuæ B. L. subjecere licuit. Plura non potui, ob accusas facultates, temporis angustiam, & alias circumstantias, quarum ratio fuit habenda. Fauxit Deus, qui non solum rationis lumem benigne concessit, verum etiam fulgentissimo nos Revelationis Suae jubare sollestrare, dignatus est, ut in itinere constituti recte utroque utamur donec in patriam translati, aeterna perfruamur luce.

